Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dissertationes refutatoriae synodalis ab Heinrico Heideggero professore Tigurino adversus sacras

Reding, Augustin

Monasterii Einsidlensis, 1669

Praefatio

urn:nbn:de:bsz:31-162659

Visual Library

PRÆFATIO.

Vidit Helvetia Catholica Ioannis Heinrici Heideggeri, Doctoris ac Profeſſoris Tigurini Synodalem adverſùs Religioſas, & votivas Peregrinationes Diſſertationem, in quâ intendit Primò impugnare omnes in univerſum Peregrinationes votivas & religioſas: tum verò celebratiſſimas, Hieroſolymitanam, Romanam, Compoſtellenſem, & Lauretanam obiter perſtringere: poſtremò autem eam, quæ propioribus lineis inſtitutum ſuum attingat, nempe quæ ad Vicinum, uti ait, Fanum Eremitanum Helvetiorum inſtituta pridem, maximo confluentium ex vicino, remotoque Orbe Pontificio, ſalutantiumque ſtudio inclaruerit, ad partes vocare. Etſi proinde facile ſit, ea omnia, quæ in prætactâ Diſſertatione continentur, refutare, partium tamen mearum viſum eſt, ea ex profeſſo refellere, quæ ex primario ſuo inſtituto adversùs Einſidlenſem Beatiſſimæ Virginis Peregrinationem producit,

dum

dum interea in reliquis Hieroſolymitanam, Romanam, Compoſtellanam, & Lauretanam à ſe obiter duntaxat perſtrictas Peregrinationes concernentibus, validum experietur expugnatorem, cui, utpote qui manus jam appoſuerit, nolui palmam præripere. Cæterùm ut in hac Refutatione diſtinctè, & cum ordine procedatur, expedire viſum fuit, totam tum Diſſertationis prætactæ, tum Refutationis oppoſitæ materiam in aliquot Diſſertationes ſub diſtinctis Titulis redigere.